in terra: uirum iniustum mala capient
in interitu. Cognoui quia faciet do-
minus iudicium inopis et uindictam
pauperum. Verumptamen iusti confitebuntur
nomini tuo: et habitabunt recti cum uul-
tu tuo. Ps.
Domine clamaui ad te exaudi me:
intende uoci mee dum clamauero
ad te. Dirigatur oratio mea sicut incen-
sum in conspectu tuo: eleuatio manu-
um mearum sacrificium uespertinum. Pone
domine custodiam ori meo et hostium
circumstantie labiis meis. Non decli-
nes cor meum in uerba malicie: ad ex-
cusandas excusationes in peccatis. Cum
hominibus operantibus iniquitatem: et non com-
municabo cum electis eorum. Corripiet
me iustus in misericordia et increpabit me: oleum
autem peccatoris non impinguet caput meum.
Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis
eorum: absorti sunt iuncti petre iudices